

reir., Exod. 3, disput. 3. Non tamen affert probationem, et præterea habet hoc difficultatem toti huic sententiæ et sequenti communem, quam statim proponam.

11. *Tertia opinio.*—*Hieronimi sententia approbandi.*—*Omnia in concordiam rediguntur.*—Est ergo tertia sententia D. Hieronymi, in dicto lib. de Locis hebraicis, sub verbo Horeb, ubi, relicta sententia Eusebii, sic inquit: *Mihi autem videtur quod duplici nomine idem mons, nunc Sina, nunc Horeb, vocetur; et idem sentit Joseph., lib. 2 Antiquit., cap. quinto, alias 12, ubi referens apparitionem Dei in rubo, quam Scriptura dicit factam esse in monte Horeb, dicit factam esse in monte Sina, quem celsissimum esse affirmat. Et ita hæc opinio videtur fieri valde probabilis. Habet tamen difficultatem, si cap. 17 et 19 Exodi inter se conferantur: nam in 17 cap. dicitur Populum Israel, profectum de deserto Sim, castrametatum esse in Raphidim: et subdit Deus infra: *En ego stabo ibi coram te supra petram Horeb, percutiamque petram, etc.* Unde Hieronymus, in Locis hebraicis, dicit *Raphidim* fuisse locum in deserto juxta montem Horeb; et ita inter mirabilia facta ejusdem montis poni solent et apparitio in rubo, et fluxus aquarum ex petra. At vero in cap. 19 additur quod filii Israel, profecti de Raphidim, pervenerunt in desertum Sinai e regione montis qui statim vocatur mons Sina, in quo lex fuit data. Ergo necesse est illos montes esse distinctos, imo etiam esse satis distantes, quandoquidem ab uno ad alium profectus est populus. Quæ ratio recte mihi probat Horeb non posse esse solum jugum eminens montis Sina. Non tamen videtur urgere contra sententiam Hieronymi, quia licet Horeb fuerit idem mons qui Sina, nihilominus potuit mons ille protrahi per magnam magnitudinem deserti, et ita potuit populus per radices montis varias mansiones efficere, ut idem Hieronymus declarat in Epistol. 127 ad Fabiolam, mansi. 8 et sequentibus. Solum ergo probat mihi illa ratio, petram Horeb, de qua fluxerunt aquæ, Exod. 17, non fuisse in eadem parte ejusdem montis in qua data est lex. Et forte illa pars erat in formam parvi montis, de qua potest verificari opinio Cajetani. Nihilominus tamen verum censeo etiam illam partem montis in qua data est lex, fuisse vocatam Horeb, quia hoc plane significat Scriptura, quoties dicit legem datam esse in Horeb. Neque est verisimile loqui*

de eodem monte secundum diversas partes ejus, quando eandem legis promulgationem, et omnia signa quæ in ea acciderunt, indifferenter describit sub nomine Horeb et Sina. Recte ergo Hieronymus dixit hæc fuisse duo nomina ejusdem montis. Verisimileque est montem Sinai fuisse quasi nomen appellativum seu denominativum a vicino deserto, quod vocabatur solitudo Sinai, Exod. 19; nomen autem Horeb fuisse proprium, et præcipuam ac excelsiorem partem ejus significasse, et ab illa montem totum, montem Horeb et montem Dei esse appellatum. Et hoc modo facile omnia in concordiam redigi possunt.

12. *Circa tempus promulgationis legis veteris, primum certum.*—Altera circumstantia promulgationis est tempus, quod certum imprimis est, fuisse post multos annos a creatione mundi et lapsum primi hominis: nam id in Scriptura evidens est. Cujus rationem investigat D. Thom., quæst. 98, art. 6. Hæc vero quæstio fere similis est alteri quæ de incarnatione tractatur 3 part., quæst. 1, cur, videlicet, tanto tempore post lapsum hominis dilata sit. Sicut enim lex intuitu CHRISTI et incarnationis ejus data est, ita ad illam ferendam tempus illud divina sapientia electum est, quod respectu temporis futuræ incarnationis magis esset accommodatum. Debit ergo esse medium, seu interpositum inter tempus creationis et incarnationis: nam post peccatum hominis per multum tempus dilata est lex, ut homines lapsi fragilitatem naturæ suæ et indigentiam sui status magis agnoscerent; et quia de sua scientia et ratione præsumebant, sine lege relicti sunt, ut agnoscerent rationem naturalem sibi non posse sufficere; nam sibi relicta plurimum obscurata est, et in varios errores lapsa. Postea vero, ne hoc malum nimium cresceret, et omnes hominum nationes prorsus occuparet, opportuno tempore data est lex, et ad illam electa est illa gens ex qua Christus erat nasciturus, et ita quodammodo inchoata est tempore Abraham, cui data est circumcisio, quia tunc fere omnes homines idolatriæ dediti erant. Et hanc rationem illius dilationis tradit Paul., in Epist. ad Rom., a principio, ubi hæc ratione dicit per legem datam esse peccati cognitionem, et similia.

13. *Lex vetus multo tempore ante Christi adventum data.*—*Lex vetus data anno 2513 a creatione mundi.*—Deinde data est etiam illa lex multo tempore ante Christi adventum,

ut ab illo populo peculiari fide et spe crederetur et speraretur, et majori affectu desideraretur ac peteretur, ac denique ut Christi progenitores multo ante adventum ejus specialiter essent cultores Dei cum tota sua progenie, seu natione; quia vero non solum de scientia, sed etiam de viribus suis homines gloriabantur, data est etiam illa lex, quæ præciperet, et non juvaret, ut homines magis necessitatem divinæ gratiæ et Christi, auctoris ejus, agnoscerent, ut Paulus in eadem Epist. ad Rom. et ad Gal. prosequitur. Non est autem illa lex data simul cum circumcisio, quia nondum erat sufficienter multiplicatus populus cui lex illa danda erat, ut in superioribus tactum est. Quod si quis inquirat quo tempore vel anno a creatione mundi data fuerit lex, respondeo breviter verisimile esse datam esse anno 2513 a creatione mundi, ut colligimus ex computatione, quam ad incarnationis tempus declarandum fecimus in 1 t. 3 part., disp. 6, sect. 1; data enim fuit 400 anno a circumcisio data Abraham, ut testatur Stephan., Actor. 7, vel (quod idem est) 430 annis post vocationem Abraham et egressum ejus de terra sua, Genes. 12, ut sumitur ex Paul., ad Gal. 3; ita enim duo illa loca conciliantur. Denique data est quinquaginta diebus post exitum populi de Ægypto, ut supputat Hieronym. dict. Epistol. 127, mansi. 12; et de hoc puncto seu tempore videri potest August., lib. 18 de Civit., cap. 11, et 4 cont. Faust., cap. 2; divus Thom., quæst. 98, art. 6; et Pereir., in cap. 12 Exodi, disput. 19.

14. Ultimo tandem advertendum est ea quæ de his circumstantiis diximus, intelligenda esse de illa lege, quoad præcipuam ejus fere partem, vel (ut ita dicam) quoad totum corpus illius, non vero quoad omnia et singula præcepta ejus; sic enim non fuerunt omnia ejus præcepta in eodem loco, nec in eodem tempore data: nam de præcepto circumcisionis jam dictum est multo tempore fuisse datum ante legem, et, quia datum est, ut perpetuo in illo populo duraret, Genes. 17, necessarium fuit veteri legi adjungi, ut etiam ante illam latam, Exod. 12, significatum est, licet postea etiam clarius traditum sit Levit. 12. Item, dicto loco Exod. 12, promissum est præceptum de celebratione Paschatis et Azymorum, et cap. 16 additum est præceptum de observatione sabbati. Post legem vero datam in monte, addita sunt ei aliqua præcepta, ut constat Num. 27, de modo succedendi filii hæredis in hæreditate patris, deficiente filio,

etc.; et in sequentibus capitibus adduntur aliæ leges, quæ videntur post legem et in diversis locis latæ.

## CAPUT VI.

## DE EFFECTIBUS VETERIS LEGIS.

1. *Prima conclusio.*—Duplex effectus legis distingui potest ex dictis in superioribus: unum per se et immediatus, qui per ipsam legem moraliter fit; alius remotus, qui resultat ex opere quo lex impletur aut violatur: sub priori membro continetur præcipue obligatio in conscientia, sub qua, ut in superioribus dixi, continentur quatuor effectus legis, quos Isidorus numerat, præsertim duo primi, qui sunt præcipere et prohibere: nam tertius, qui est permittere, vel dicit potius ablationem obligationis, vel, si dicat exemptionem a pœna, dicit consequenter obligationem legis ad illam exemptionem servandam. Et simili modo punitio, quæ est quartus effectus, quoad obligationem ejus, sub hoc membro comprehendi potest. Sub altero vero membro continetur imprimis opus ipsum lege præceptum, vel ommissio operis prohibiti, deinde pœna imposita transgressioni præcepti, ad quam etiam præmium reducitur; denique huc etiam spectat ultimus effectus per legem intentus, qui est facere bonum subditum legis. Isti ergo omnes effectus in hac lege divina veteri considerari possunt et debent: unde dico primo legem illam habuisse illum effectum legis, qui per se convenit legi, eo ipso quod vera lex est, qualis est obligatio in conscientia. Hæc assertio videtur manifesta ex dictis supra de lege in communi. Item est etiam certa; nam per transgressionem illius legis incurri poterat culpa et peccatum coram Deo, atque etiam reatus mortis æternæ; ergo lex ipsa in conscientia obligavit. Item Paulus, ad Galat. 5, testificatur omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ; debitum autem illud potissime ad conscientiam pertinet, ut per se notum est. De hac autem obligatione dubitari potest, quanta fuerit, id est, an fuerit sub mortali vel veniali. Hoc vero non habet in præsentī specialem difficultatem. Nam de tota lege collective sumpta non potest una generalis regula tradi: complectebatur enim plura præcepta, quædam graviora, et alia leviora, et ideo secundum diversa præcepta uno, vel alio modo obligare poterat. Ad discernendam autem

quantitatem, sen qualitatem obligationis, applicandæ sunt regulæ supra datæ de lege humana. Nam licet lex divina ex dignitate præcipientis majorem rationem obligandi habeat secundum generalem rationem obedientiæ, justitiæ, aut charitatis ad Deum, nihilominus lex etiam Dei, simpliciter lata in unaquaque materia, obligat secundum specificam rationem, et gravitatem ejus, ut sumi potest ex D. Thom., q. 100, art. 2, ubi de præceptis moralibus specialiter loquitur; est autem eadem, vel major ratio de cæteris. Unde etiam sumitur ratio: nam in lege naturali, licet divina sit, ita discernitur illa duplex quantitas obligationis; ergo idem est in lege divina positiva. In qua reperiuntur etiam specialia verba et comminationes pœnarum, quæ expendi etiam possunt ad gravitatem obligationis discernendam.

2. *Dubium.* — Secundo vero, dubitari potest specialiter an lex illa, quatenus continebat præcepta moralia, induxerit novam obligationem in conscientia. Et ratio dubitandi est, quia illa præcepta solum in materia necessaria versabantur, id est, in qua lex naturalis obligabat, ut supra visum est: ergo non potuit lex divina novam obligationem addere. Probatet consequentia, quia vel illa obligatio esset distinctæ speciei, vel ejusdem; non primum, quia lex divina positiva, quatenus moralis fuit, præcipiebat morales actus sub eisdem rationibus virtutum, sub quibus naturalis lex eosdem præcipit, ut plane sensit D. Thom., dict. art. 2, et videtur per se manifestum; ergo non potuit inducere obligationem specie distinctam. Neque etiam solo numero distinctam, quia sicut accidentia numero tantum distincta non multiplicantur in eodem subjecto, ita neque obligationes ejusdem rationis multiplicantur circa eandem materiam subjectam, ut plura vota castitatis in eadem persona non inducunt plures obligationes. Et ita videtur hæc pars posse probabiliter defendi. Nam sicut in lege humana, ita et in lege divina positiva, distinguuntur duplex lex: una constitutiva, quæ obligationem inducit; alia declarativa, quæ non ponit novam obligationem, sed præexistentem declarat, et ita lex vetus quoad præcepta moralia dici potest fuisse declarativa, non constitutiva.

3. *Conclusio.* — Nihilominus dicendum censeo, etiam illa præcepta de se induxisse obligationem in conscientia. Ratio est, quia illa fuerunt vera præcepta et mandata; imo illa

per antonomasiam solent præcepta vocari et distinguuntur a cæremoniis et judiciis, ut patet Deuter. 4 et 5; ergo inducebant obligationem: nam hæc necessario sequitur ex vi præcepti et legis. Nam lex pure declarativa, si de se obligationem non inducit, magis est pura doctrina quam lex. Et ita lex declarativa humana, quando non inducit novam obligationem ad actum, saltem obligat ad sequendam illam declarationem, ut sit vera lex. Lex autem illa divina non solum obligat per modum doctrinæ, seu Scripturæ sacræ, sed etiam per modum præcepti et legis. Unde etiam ex citatis locis manifeste ostenditur hæc obligatio, ut patet ex illis verbis: *Custodi igitur teipsum et animam tuam sollicite, ne obliviscaris verborum quæ viderunt oculi tui, etc.*; et cap. 5: *Quis dei talem eos habere mentem ut timeant me, et custodiant universa mandata mea?* et infra: *Custodite et facite quæ præcepit Dominus; et infra: Per viam quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis.* Quæ omnia potissime ibi dicuntur ratione præceptorum moralium. Declarari præterea hoc potest, quia præcepta illa, solum quia erant præcepta illius legis, obligarent quemcumque Israelitam, etiamsi invincibiliter ignoraret aliquid illorum esse de lege naturali, et e converso non obligarent alienigenam, etiamsi sciret data esse a Deo illi populo, si alias eodem modo ignoraret omnia esse de jure naturali: nam etiam nunc non desunt, qui aliqua ex illis vocent de jure gentium, et non naturali: ergo signum est præcepta illa induxisse speciale obligationem respectu illius populi. Tandem idem confirmatur, quia Judæi violantes illam legem gravius peccabant quam Gentiles, qui solam legem naturalem violabant. Dies illud esse verum, non ratione novæ obligationis per illa præcepta impositæ, sed quia per legem data est cognitio peccati, ut dicitur ad Roman. 3, et ex majori cognitione aggravatur peccatum: nam ita explicatur illud peccatum ad Roman. 7. Sed licet hic modus verus sit, non potest alius excludi; nam etiam augetur peccatum, quando multa præcepta etiam ejusdem rationis circa idem multiplicantur. Et ita communiter censent doctores, quando lex canonica vel civilis, vel in eadem materia multiplicatur, vel aliquid præcipit jure naturali mandatum, majorem oriri obligationem, sive illa major obligatio sit per aggregationem plurimum obligationum, sive per augmentum ejusdem, quod ad rem

moralem parum refert. Et ita respondetur facile ad rationem in contrarium; nam illa præcepta de se possunt inducere obligationem, etiamsi non præexisteret, et augere præexistentem; et ideo non repugnat in materia alioqui necessaria ex jure naturali, dari legem positivam obligantem, sive humanam, sive divinam.

4. *An præcepta judicialia in conscientia obligant.* — Tertio, potest specialiter dubitari circa præcepta judicialia, an illa etiam in conscientia obligarent. Nam Joan. Gerson., in tract. de Vita spirit., lect. 2, in alph. 61, sentit præcepta judicialia, quæ ad civiles mores instituendos ordinabantur, non obligasse in conscientia, sed solum ad pœnam temporalem, maxime quando illam expresse imponunt. Fundamentum ejus esse potuit, vel quia putat legem pœnalem non obligare in conscientia, sed tantum sub reatu temporalis pœnæ, vel potius quia existimavit legem humanam, vel quæ humanam in fine imitatur, non obligare in conscientia. Voco autem imitantem humanam, illam quæ, licet a Deo lata sit, propter humanum finem, id est, gubernationem humanæ reipublicæ posita est: unde ibidem sentit talia præcepta judicialia non fuisse divina, non quia a Deo lata non sint (hoc enim negare erroneum esset), sed quia non sint data ut homines redderet dignos vitæ æternæ. Hanc enim particulam ille auctor posuit in definitione legis divinæ, quam sic definit: *Est signum divinæ rationis volentis obligare creaturam rationalem ad aliquid agendum, vel non agendum, ut digna reddatur vita æterna.*

5. *Responsio affirmativa.* — *Fundamentum contrarium improbabile.* — Hæc vero sententia sine dubio falsa est: nam judicialia præcepta non minus obligant in conscientia, sive pœnam adderent, sive non adderent, quam cætera. Hoc videtur manifestum ex verbis legis; tum quia eisdem verbis mandari dicuntur judicia, ac cætera, ut Deuter. 6: *Hæc sunt præcepta et cæremonia, atque judicia, quæ mandavit Dominus, etc.*; tum etiam quia observatio præceptorum judicialium æqualiter exigitur, et eadem comminationes fiunt non observantibus illa, Deuter. 4, 28, et aliis similibus locis. Probatur etiam manifesta ratione, quia illa fuerunt propria præcepta et leges divinæ, quantum ad formam præcipiendi; sed materia eorum etiam erat capax obligationis in conscientia, quia erat materia alicujus virtutis moralis, quæ majori ex parte

erat virtus justitiæ, licet interdum alia etiam esse posset; ergo nihil deerat illis præceptis ad obligandum in conscientia. Nam dicere non habuisse Deum intentionem sic obligandi, voluntarium esset, et fictum contra vim verborum Scripturæ. Unde fundamentum contrariæ sententiæ improbabile est: nam lex humana etiam civilis in conscientia obligat, etiamsi pœnam adjiciat, nisi aliud constet de mente legislatoris: ergo multo magis lex a Deo data: unde potius ex gravitate pœnæ temporalis addita in illa lege solet colligi obligatio in conscientia sub mortali, ut de pœna mortis indicat Scot., in 3, dist. 40, et docet Castr., lib. 2 de Leg., cap. 4, ut supra, lib. 3, notavimus. Accedit quod non tantum leges judiciales, sed etiam morales et cæremoniales similibus pœnis sanciebantur, ut patet Levit. 20 et sequent., et Deuter. 25, et in 28 fiunt generales comminationes temporarium pœnarum. Denique, quod ille leges ordinarentur ad convenientem illius reipublicæ gubernationem, non refert, quia etiam media convenientia ad hunc finem possunt vere et efficaciter præcipi sub obligatione conscientie. Neque hic finis excludit ultimum vitæ æternæ, sed potius subordinatur illi: nam servando externam justitiam et pacem reipublicæ, potest quis mereri vitam æternam si justus sit, ac subinde illa dignum se reddere. Quamobrem negari non potest præcepta judicialia fuisse divina, non solum ex auctore, sed etiam ex fine ultimo per illa intento, ut supra visum est. Ideoque superfluum est addere illam particulam in definitione legis divinæ, quia nihil Deus homini præcipit, nisi ut obediendo tandem fiat dignus vita æterna, quamvis alius proximior finis possit etiam per talem legem intendi.

6. *Dubium.* — *De præceptis moralibus dicendum obligare sub quocumque periculo.* — Tandem inquiri potest an obligatio illius legis tanta fuerit, ut ad sui observationem in conscientia cogeret, non obstante quocumque periculo mortis. Sed hoc dubium cum eadem proportionem expediendum est, quia simile supra tractatum de lege humana. Itaque de præceptis moralibus certum est obligare cum eo rigore, præsertim si negativa sint, quia oppositum est intrinsece malum. Affirmativa autem, quia non obligant pro semper, possunt interdum non obligare ratione periculi mortis: unde idem a fortiori dicendum esse constat de positivis præceptis affirmativis divinis, ut magis ex dicendis patebit. De nega-

tivis autem præceptis a Deo positus potest esse nonnullum dubium, quia obligant pro semper, et Deus potest ita obligare sine ulla exceptione propter summam auctoritatem quam in præcipiendo habet: stante autem obligatione a Deo posita, impossibile est ut liceat contra illam agere.

7. *Lex vetus positiva non obligabat cum periculo vitæ.* — Nihilominus tamen dicendum est illam legem ut positivam, non obligasse per negativa præcepta cum periculo vitæ, nisi ubi occurreret ratio vitandi contemptum divini præcepti aut religionis. Ita docent omnes auctores supra lib. 3 citati circa legem humanam, et specialiter de lege divina in genere id docet Sot. l. 1 de Justit., quæst. 1, art. 6, in fine corporis; et Adrianus, quodl. 1, art. 3 ad 5, et quodl. 6, art. 2 ad 2, et in 4, q. 3, de Clavib., except. 8. Ubi in exemplum adducit legem Sabbati, quæ non obligavit Machabæos ad non bellandum die Sabbati, propter periculum vitæ, ut sumitur ex 1 Machab., 2. Ratio autem est, non quia liceret tunc propter metum agere contra obligationem a Deo positam, sed quia pro tunc cessabat obligatio; nec refert quod præceptum negativum obliget pro semper, quia dum non prohibet rem intrinsece malam, semper habet subintellectam conditionem, nisi interveniat sufficiens necessitas, seu periculum excusans. Quæ conditio etiam in divinis præceptis includitur, non quia non posset Deus aliter præcipere, si absoluta potestate uti vellet, sed quia in ordinaria hominum gubernatione illa non utitur per generalia præcepta, quæ secundum regulas prudentiæ et convenientis gubernationis tradi censentur. Et inde etiam facile probatur exceptio posita in assertionem, quia agere aliquid in contemptum Dei, vel religionis, aut legis ejus, est intrinsece malum, et ideo merito conditio illa non extenditur ad talem eventum. Quod dictum etiam est de lege humana, multoque magis verum est de divina, ut etiam confirmat aliorum Machabæorum exemplum, libro 2, cap. 7.

8. *Secunda conclusio.* — Dico secundo: permissiones aliquæ fuerunt effectus illius legis, non tamen per modum puræ permissionis, sed per modum dispensationis, vel potius per modum concessionis et privilegii. Declarat id, advertendo permissionem interdum late dici de omni illo quod non prohibetur nec præcipitur lege, et ita D. Thom., in 4, d. 33, q. 2, a. 2, quæstiunc. 2, distinguit varios modos permissionis; unus quo minus bonum permitti-

tur, relicto meliori; sic matrimonium permittitur respectu virginitatis; et de usu ejus ait Paul. 1 ad Corinth. 7: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Hæc autem magis est approbatio quam permissio. Unde magis improprie appellatur permissio, concessio melioris boni non præcepti, nam illud potius est consilium. Imo neque licentia faciendi aliquid quod per se malum non est, nec prohibitum, est propria permissio, de qua nunc loquimur. Addit etiam divus Thomas peccatum veniale permitti respectu mortali, quia non prohibetur. Sed hoc etiam improprie dicitur; nam peccatum veniale revera est prohibitum, licet cum minori rigore quam mortale.

9. *Propria permissio.* — *Permissio facti quæ.* — *Permissio juris quæ.* — *In quò sensu procedit assertio.* — *Alia subdistinctio permissionis.* — Propria ergo permissio dicitur de quocumque malo vel prohibito, non respectu majoris vel minoris mali, sed respectu cohibitionis ejusdem mali permissi. Et sic possumus distinguere duplicem permissionem; unam facti, alteram juris. Facti appello, quando, sine jure aliquid statuente, de facto peccatum voluntarie non cohibetur, et sic Deus dicitur permittere peccata. Juris autem permissionem appello, quando lex aliqua permittit facere quod alias prohibitum erat, et hæc permissio dicitur proprie effectus legis, quia per legem introducta est. De hac ergo intelligitur assertio, quæ ex locis statim allegandis manifesta fiet. Ulterius enim subdistingui potest hæc permissio juris: nam quædam est impunitatis tantum, quam lex talis concedit ei cui permittit peccatum, et in virtute solum jubet ne sic operans puniatur, ut in l. 1 dixi. Alia vero est permissio concessiva exemptionis tollentis prohibitionem, ut sine culpa fieri possit quod antea non poterat, ut per dispensationem aut privilegium fit. Dicimus ergo permissionem, quæ est effectus legis veteris, semper esse hujus ultimi ordinis.

10. *Probatur assertio.* — Probatur primo inductione ex Scriptura, juxta expositiones quæ probabiliore nobis videntur: nam imprimis pluralitas uxorem permissa fuit in lege veteri, ut sumitur ex Deuteron. 21, ibi: *Si habuerit homo uxores duas*, etc. Non enim invenitur lex quæ dispositiva, ut sic dicam, hoc permittat, sed præsuppositiva, ut ex tenore dictorum verborum constat. Fuit enim illa permissio concessa Patribus, et traditione ac more recepta in illo populo, et postea in

lege Moysi non fuit prohibita, ac subinde tacite fuit approbata, ut illis etiam verbis declaratum est. Unde illa permissio dici potest non esse ex lege, sed ex Patribus, sicut circumcisio: tamen sicut circumcisio numeratur inter sacramenta illius legis ita permissionem hanc vocamus effectum illius legis, saltem retentum, seu probatum. Talis ergo fuit illa permissio in i. a lege quavis fuit in Patribus: in illis autem fuit illa permissio concessiva privilegii auferentis prohibitionem et culpam: ergo et in illa lege. Minor traditur ab Innocent. III in cap. *Gaudemus*, de Privileg., et est communis sententia Sanctorum et expositorum Matth. 19, et Augustin., lib. 4 de Nupt. et concupiscent., c. 9; et videtur indubitatum ex sanctitate antiquorum Patrum, et familiaritate quam cum Deo habebant.

11. *Libellum repudii.* — Alia permissio in lege disposita fuit de libello repudii, Deuter. 24, quam multi explicant de permissione impunitatis; longe tamen verisimilius mihi videtur esse intelligendum de permissione dispensativa, seu concessiva, et excusante a culpa, quod tenuit auctor imperfecti in Matth., homil. 17; et D. Thom. in 4, supra, id valde probabile reputat, et videtur supponere l. 2, quæst. 102, art. 5, ad 3; et sequuntur quam plures scholastici in 4, distinct. 33, et jurisperiti in dicto cap. *Gaudemus*; et Bellarminus, lib. 1 de Matrimon., cap. 17, ad 14; et Maldonat., Matth. 19, et plures alii quos refert et sequitur Sancius, lib. 10 de Matrimon., disput. 1, n. 7. Ratio vero est, quia lex illa simpliciter id concedit, et nullum indicium præbet quod illud permittat licet sit malum, sed absolute ut fieri possit, ut patet ex citato loco, et ex Malach. 2, nam videtur ibi approbari matrimonium; ergo incredibile est illam permissionem fuisse quoad solam impunitatem respectu legis, quia hoc modo constitueretur ille populus in magno periculo peccandi, cum hoc ibi non explicaretur.

12. Alia permissio fuit mutuandi cum usura alienigenis, de qua eadem est disceptatio inter doctores; mihi tamen ob eandem rationem placet sententia, quæ permissionem illam explicat de concessionem excusante a culpa, saltem propter donationem a Deo factam, vel quia jure belli poterant Hebræi accipere bona alienigenarum vicinorum, respectu quorum illa concessio intelligenda est. Et ita explicat expresse Ambrosius in libro de Tobia, cap. 13, quem graves theologi et juristæ sequuntur, quos refert Covar., lib. 3 Variar., cap. 1, n. 7.

Aliud exemplum esse potest ex lege Deuter., 23: *Ingressus vineam proximi tui, comedere uvas, quantum tibi placuerit, foras autem non efferas tecum.* Ubi priora verba non sunt præceptiva, sed permissiva, excusando non solum culpam mortalem, sed etiam venialem, et majorem licentiam dando quam solo jure naturæ videatur concessa: et ratio est eadem quæ supra est tacta. Nam potuit Deus fructus alienæ vineæ communes facere quoad illum usum, et per illam legem simpliciter intellectam fecisse videtur. Idemque est de alio exemplo de usu spicarum, quod ibidem subjungitur. Denique afferri potest exemplum de usu sacrificii zelotypiæ, Num. 5, quam inter permissiones ponit D. Thomas in 4, ubi supra; et significat fuisse tantum permissionem minoris mali, quia tentare Deum per se malum est. Sed sine dubio existimo etiam permissionem illam fuisse concessivam; nam, posita illa lege, uti illo sacrificio non erat tentare Deum, quia signum quod a Deo ibi postulabatur, ab ipso erat institutum cum promissione effectus, et ita cessat divina tentatio, juxta dicta 3 de Relig., l. 1, cap. 2; ergo etiam cessabat ratio culpæ, quia, per se loquendo, nulla alia malitia in illo actu poterat inveniri.

13. *Ex dictis infertur assertio tradita.* — Ex his ergo satis probata relinquitur assertio, quia nulla permissio occurrit in illa lege facta, quæ sit de actu malo et prohibito, perseverante in sua malitia post permissionem, quia semper facta permissione cessabat prohibitio, sive per propriam dispensationem, sive per mutationem materiæ, ut proprie loquendo dicendum est. Nam hoc genus permissionis tantum habere potuit locum in aliquibus quæ ex vi juris naturæ non licerent, seclusa tali permissione Dei: quod autem jure naturæ non licet, non fit licitum per propriam dispensationem, sed per materiæ mutationem, ut supra, lib. 2, declaratum est; ergo ita fieri etiam potuit in dictis permissionibus, ut ex dictis etiam facile intelligi potest: unde etiam sumitur optima congruentiæ ratio, quia Deus potuit illam permissionem facere cum immunitate a culpa, et verba concessionis sunt absoluta; ergo interpretandum est ita fecisse. Probatur consequentia; tum quia beneficia principis, et maxime summi, latissime sunt interpretanda: illa autem permissio in illius populi commodum a Deo concedebatur; tum etiam quia ita magis expediebat ad bonum regimen, quod Deus intende-